



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 23. Ursini Valentinensem Ducem capere moliti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XVI A C. 1503. lis additum supplex adiit, ut eum in ar-  
cem suam recipere vellet.

## §. XXIII.

*Ursini Valentinensem Ducem capere  
moliti.*

Cum vero Valentinensis ductore Jacobo Sillyo Cadomi Præatore plusquam centum armatorum præsidio munitus, ad arcem deduceretur, Ursini in eum, ipsumque agmen irruunt, ac tertio impetu in illos facto, ingenti clade affectos profligant. Sillyus inter hæc arcta prehensus, nil reliquum habebat, quam ut lectica, in qua Dux ferebatur, in medio suorum posita per gladiatorum acies erumperet, ac ferro sibi viam Romam versus aperiret; nihilominus gravissime saucius ægre per ultimas cædes elabatur, Ducemque hostium furori eripit, qui ad arcem S. Angeli fuga sibi consuluit, a Præfecto perbenigne exceptus; hunc enim Ducis Pater amplis favoribus cumulabat, nec neo-electus Pontifex officio spoliabat. Tandem etiam die duodecima Octobris feria quinta Romæ promulgata est armorum societas Columnenses inter & Ursinos eo fine inita, ut in Neapolis Regnum adversus Gallos Hispanis auxilia submitterent: Verum summo Pontifici adversa valetudine presso, nec diu vita super-



superstiti hujus foederis eventum praesto-  
lari invidia mortis haud indulgit.

Saecul. XVI.  
A.C. 1503

§. XXIV.

*Pii III. Pontificis obitus.*

Jam sexto post electionem die summus Pontifex adeo molesto, gravique morbo opprimebatur, ut ab illo temporis puncto publicis negotiis incumbere praepediretur, ac postquam viginti omnino dies in exigua salutis suae spe animam traheret, plurimum ingravescente morbo Sacrum Viaticum a suo conscientiae Moderatore, ac demum extremam unctionem sibi administrari postulavit, quibus perceptis circa meridiem vigesimo sexto ab electione die animam Deo reddidit, communi omnium recte sentientium luctu, qui Pium velut Virum pro bono, ac honore Ecclesiae divinitus datum, atque ad reparandos praeteriti temporis abusus maxime idoneum venerabantur. Quorumdam Historicorum opinio est, illum veneno, quod ei Pandolphus Petrucius Senarum Gubernator propinasset, fuisse sublatum. Corpus ejus Pontificali habitu ornatum, ad exterius cubile deferebatur, atque in quodam lecto, qui sericis velis viridis coloris coopertus erat, exponebatur. Ast haud diu ibidem relictum, sed ad cubile, ubi animam egit,

H h 3

trans-